



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

X. De eo quod supra 2. cap. Sicut; & de eo quod supra capite octauo, Si autem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179. remota , ab omni officio & beneficio ecclesiastico non dif-
feras spoliare.

CAP. VIII. *Idem Londoniensi episcopo.*

Si autem clerici tuæ iurisdictionis , siue sint in sacris or-
dinibus , siue in inferioribus constituti , fornicarias deti-
nent , nisi eas ad secundam & tertiam commonitionem
tuam a se dimiserint , eas contempturi , de cetero liceat
tibi eos ecclesiis vel earum portionibus , si quas habent , ap-
pellatione postposita , spoliare , & ipsis diuina officia in-
terdicere .

CAP. IX. *Idem Eboracenſi archiepiscopo.*

Super eo quod asseris A. presbyterum fornicariam de-
tinere , & eum ad crebram admonitionem tuam dimittere
nolentem , ab officio suspensum , prudentia tua responde-
mus , quod si super hoc appellatum fuerit ad præsentiam
nostram , si contigerit ipsum ad nos accedere , prout expe-
dire viderimus , petitionem eius & audaciam corrigemus .
Si vero non venerit ad præsentiam nostram , suspensionis
sententiam in eum propter hoc latam , tam diu volumus
obseruari , donec fornicariam suam a se abiiciat , & viuat
(sicut decet presbyterum) continenter . Porro si literas a
nobis obtinuerit , quæ facti seriem non contineant , nolu-
mus ipsas sibi prodeſſe .

CAP. X. *Idem Cantuariensi archiepiscopo.*

Cum in Cantuariensi prouincia , vbi legationis officio
fungeris , quod tibi commisimus , multi clerici sint , qui in
domibus suis fornicarias habere dicuntur : satis graue est ,
quod in spurcitia vitiorum eorum eos permanere permit-
tas , qui ad refecanda vita & præparandas virtutes diligens
omnino & solitus esse deberes . Vnde fraternitati tuae , &c.
quatenus si qui clerici prouinciae tuæ concubinas vel forni-
carias habent , eos constanter admoneas , & si opus fuerit ,
ecclesiastica districione compellas , vt concubinas & forni-
carias a se , dilatione & appellazione postposita , prorsus
amoueant , eas vel alias nequaquam ulterius admissuri . Si
qui autem eorum ita fuerint pertinaces , quod noluerint in

Hhh iiij

ANNO
CELESTE
1753

hac parte mandatis parere, ipsos ab ecclesiis quas habent, ^{de Yd.}
appellatione remota, non differas spoliare.

C A P. XI.

De cetero quia Stephanus clericus * Deuellentin. in archidiaconatu prædicti archiepiscopi adulteram in domo sua & commatrem dicitur detinere: si hoc publicum est & manifestum, ob tantum excessum, animaduersione debita nullius contradictione & appellatione obstante, corrigas.

C A P. XII. *Idem.*

De diacono qui in sabbato sancto quemdam alium diaconum vulnerauit, & mulierem vxoris nomine suscepit, hoc prudentia tua duximus respondendum, quod si contrito & humiliato animo ad ecclesiam redire voluerit, dimissa illa quam in vxorem accepit, cum non possit (sicut nosti) contrahere matrimonium, ipsum recipere potes & absoluere a sententia excommunicationis, quam pro violenta manuum iniectione noscitur meruisse; & iniuncta sibi poenitentia de utroque excessu, post peractam poenitentiam poteris ei diaconatus officium reddere, & etiam dispensative, si perfecta vita & conuersonis fuerit, in presbyterum ordinare.

C A P. XIII. *Idem* Exonienſi episcopo.*

Significatum est nobis, quod quidam subdiaconi in tua diœcesi commorantes, matrimonium contrahere præsumperunt, & sicut laici quilibet cum uxoribus commorantur. Vnde quoniam id, sicut tua non ignorat discretio, facrorum Canonum obuiat institutis: fraternitati tua, &c. quatenus cuiusmodi vita subdiaconi ante contractum matrimonium extiterint, & quales futuri credantur, si uxores dimiserint, diligenter ac studiose inquiras: & si eos honesta vita ante contractum matrimonium fuisse, aut dimisis illis quæ uxores eorum esse dicuntur, casta viucturos credideris, tu ipsos mulieres a se dimittere moneas diligenter, & appellatione remota, districte compellas. Si autem antea dissoluta vita fuerint, aut illis, quas tenent, dimisis, in deteriora lapsuri credantur, & plures pro una frequentare: tu id dissimulare poteris, & pro grauiori lapsu

Infamiam
aboleri post
actam poenitentiam.

Malum dif-
fimulari.